

XI. 1^f = Q.

(cat. 4, 9 - 22.)


Jus Urb :

1. Klausing, Mr. progr. (De Beneficiis a Deo in acad. Lips. collatis). Lips. 1739.
2. Hoffmann, Joh. Gli., Schediaoma historicum de Joh. Hofmanno primo acad. Lips.
et autore et professore. Lips. 1710.
3. Menckien, Jo. Burchi., Oratio secularis de viris eruditis qui Lipsiam illustrem reddi-
derunt. Lips. 1710.
4. Friedrich, Jo., De studio lit. graec. & lat. Acc. narratiuncula de initio et progressu
literaturae posterioris in hac aca^demia. Lips. 1608.
5. Boehme, Joh. glo., De Richardo Croco Britanno, graec. litt. in acad. Lips. instauratore.
Lips. 1761.
6. Boehme, Jo. glo., De Mauricu elect. in acad. Lips. insigni favore. Lips. verba.
7. Schwarz, Chr. Gli., Norimbergenses nonnullos de acad. Lips. bene meritos recenset. (A.M.) 1714.
8. Boehme, Joh. glo., Oratio de Ph. Melanchthonis in acad. Lips. meritis. Lips. verbo.
9. Kapp, Jo. Erbi., progr. (De Joachimi Camerarii in acad. Lips. meritis). Lips. 1746.
10. Acad. Lips. progr. (de illis qui mensas novas in convictoriis Lips. erexerunt, praecepue
de Jac. Fr. Amthorio.). Lips. 1754.
11. Pattner, E., Oratio de bonis acad. Lips. Lips. 1780.
12. Bavarus, lmn., Jubilare carmen in acad. Lips. Lips. 1610.
13. Mulman, Joh., Quae cypri plagi Jubil-ffendigatu bay dan vndescr. Jubilatu acad. Lips.
Lugd. 1609.
14. Weinrich, Ge., Quae cypri plagi Jubil-ffendigatu. Lugd. 1610.
15. Enarratio de Laiy zugesrittene Academicei jubilati. Jaur 1710.
16. Crelf, Edw. Chr., Supremi honores in panegyri seculari tertia acad. Lips. solemnissime
distributi carmine jubilante Descripti. Lips. 1709.

17. Gießelmann, Jubel-Liedt zu dem zum Brüderkrieg verabredeten Jubelfest der Unio. Leipzig.
 Leipzig. (1703).
18. Hoffmann, Joh. Gli., Jubel-Spieler des Unio. Leipzig (Predigt), unbek. schediasmate epistolo-
 rico von Joh. Hoffmann, dem ersten Hofprediger derselben acsd. Leipzig. 1710.
19. Weber, Anan., Ecclesia et acad. Lips. Lutherano-Evangel. Oratio secularis. Lips. 1639.
 (Siegliß fglg.)
20. eadem; recusa. 1739.
21. Kromayer, Hier., Oratio panegyrica de pace religionis. (Lips.) 1655.
22. Bahrdt, Joh. Fr., De iniuris pacis religiosae osoribus. Lips. 1755.
23. Wechsler, Chr. Fr., praes. Joh. Fr. Bahrdt, De constantia et perpetuitate pacis Augu-
 stanae. Lips. 1755.
24. Picul, chp. E., Abstreitungen in Leipzig über die Polennia Lips. novum s. Königiu Epistolaum
 Christianum Alblau auf der Unio. Begründung vorstet. Leipzig. 1727.
25. Kugl, Antituum, ein Gespräch des Opponenten im ersten Marburgischen Disputat bei der
 Unio. Leipzig betreffend. 2. d. Novembris 1729.
26. Abdruck des conspicuissim Statuti des Succession der Opponenter bei der Unio. Leipzig
 betreffend. 2. d. Novembris 1672.
27. des Unio. Leipzig Bedeutung, welche hinsichtlich bei Unzertrennlichkeit, Hoffnungen, Hindernissen
 u. Erneuerungsmögl., auf in Vertrag gesetzten und verordnet soll. Leipzig. 1634.
28. des Unio. Leipzig Bedeutung nach welcher dasselbe Jurisdiction Nutzenbrun bei Unzert-
 rennlichkeit, Hoffnungen, Hindernissen u. Erneuerungsmögl., wenn die Verträge das unzertrenn-
 lichkeit. Leipzig. 1680.
29. dasselbe. Unzertrennlichkeit gegeben. Leipzig. 1698.
30. f. v. v. Unio. Leipzig Bedeutung nach welcher dasselbe Jurisdiction Nutzenbrun
 in Kenntnung Rechts u. Tractamenten aufgestellt ist zu verordnen. Leipzig. 1698.
31. des Unio. Leipzig unzertrennlichkeit Opponenter-Bedeutung. (Leipzig. 1641.)
32. L. Unio. Leipzig Policij u. Maider-Bedeutung. Leipzig. 1673.

33. Richtig Ameisung, main auf der Univ. Leipzig Sünden und Straffen zu den
Oben-Hölz des Fächer-Gesellsch. Fakultät vnfalten zu wenden sollen. Leipzig Vf 12.
34. Richtig Ameisung, main auf der Univ. Leipzig Strafen und Straffen zu den Fächer-
Gesellsch. Fakultät vnfalten zu wenden sollen. Leipzig 1728.
35. Den Univ. Leipzig Meissnauung zu den Meissnauern zu Willigen Almosen, wo zu
vergeben die vbfürfungen durch die Stadt von Meissnauen Sattler. Leipzig. 1638.
36. Cf. Cf. über das Bauw. Wahr. D. D. Freiherrn 1661.
37. Leges Alumnorum in acad. Lips. Dennis publicatae. Lips. 1661.
38. Binsfeldan. 1690.
39. Binsfeldan. 1704.
40. Binsfeldan. 1712.
41. Binsfeldan. 1717.
42. Binsfeldan. 1729.
43. Binsfeldan. 1738.
44. Leges pro coniectoribus monendarum communium in collegio Paulino acad. Lips. 1601.
45. Binsfeldan 1612.
46. Binsfeldan 1625.
47. Binsfeldan Vf 10.

CD



D E B O N I S
ACADEMIAE LIPSIENSIS
O R A T I O


HABITA IN AVSPICIIS NOVI MVNERIS

A B

E R N E S T O P L A T N E R O

A. D. VII. DECEMBER. CIOIQCCLXXX

L I P S I A E
V E N D I T U R A F V D D Y K I V M



RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,
ILLVSTRISSIMI COMITES,
MAGNIFICE CONSVL, VEL VT DICAM QVEMADMODVM SENTIO,
AMICE VENERANDE,
VIRI DIVINARVM ET HUMANARVM RERVM CONSULTISSIMI,
VOSQVE GENERE ET INGENIO NOBILISSIMI COMMITITONES
HUMANISSIMI QVE:

Quod precatus a Deo Optimo, Maximo sum, eo
tempore, quo me measque rationes his naturae
humanae studiis deuouerem; vt, si qua mihi differendi
ac docendi facultas, vel ipsius Dei beneficio tributa,
vel ysu et exercitatione comparata esset, eius mihi exse-
rendae potestas daretur, in hac potissimum Academia, in
qua,

A 2

qua, etiam si nihil valeret patriæ caritas, nihil propinquorum necessitudo, nihil amicorum benevolentia, nihil denique acceptae disciplinae memoria, latere maluisse, quam in vlla alia florere ac celebrari: id me Summi Dei prouidentia, Serenissimi Principis judicio, suffragantibus Illustrissimis Curatoribus, fauentibus denique et congratulantibus patronis atque amicis, consecutum esse, maxime laetor. Nam haec insignis Academiae Lipsiensis praestantia est, et quasi propria virtus, vt, si qua est conjuncta cum munere doctoris felicitas, eam aliis aduentitiis bonis augeat et cumulet; incommoda autem et molestias, quibus haec vitae ratio solet laborare, innumerabilibus commodis atque iucunditatibus leniat atque compenset. Hac ego persuasione, Auditores, hoc ego sensu, tam sum plenus atque redundans; vt in hac dicendi occasione, nihil habeam, de quo aut dicere possum copiosius, aut velim lubentius, quam de insigni praestantia Academiae Lipsiensis; quam ego cogitationem Vestro in primis conspicui, in me sentio viuidorem effici atque pleniorum.

Quare

Quare hanc mihi date quaeſo veniam, Auditores,
 vt mihi liceat hoc dicendi argumento vti; quod, etſi
 caret omni diſſerendi ſubtilitate: non tamen, neque ab
 hoc loco, neque a Vestrīs personis, neque ab hoc
 orationis offiſio videtur eſſe alienum. Nam hoc ma-
 jorū noſtrorum iſtitutum, cuius ego colendi et ob-
 ſeruandi cauſa, in hunc locum ad dicendum proceſſi,
 hanc praecipue habere vim videtur; vt, qui Principis
 iudicio, publicam docendi auctoritatē inpetrassent,
 muneriſ auspicia caperent, pietate erga Principem, et
 beneuolentia erga Academiā ſignificanda. Quae cum
 ita ſint, quod aptius dicendi argumentum afferre poſ-
 ſum, quam hoc, quod in ipſa hac Academia, id eſt,
 in accepti beneficii quaſi materia verſetur? Deinde ſi
 mihi fas eſt ſperare, Vestrā mihi praeſentiam, non
 ex publici offiſii, aut veteriſ conſuetudiniſ religione,
 ſed ex libera congratulatione ac beneuolentia extiſſe;
 quod tam ſpero atque conſido, quam illud certo ſcio,
 Vos mihi bene cupere, meisque fortunā ſauere: non
 poterit Vobis moleſta eſſe, vel nimium ienuis videri,
 talis ratio dicendi, quae, mea lactitia, quam proſiteor
 maximam eſſe, redundet.

A 3

Bona

Bona igitur Academiae Lipsiensis praedicaturus, et si intelligo, maximum illorum bonorum in Vobis contineri, Amplissimi Professores: quoniam tamen sancta mihi est modestia Vestra, ab huius argumenti veritate jam mihi sentio esse abstinentum; praesertim cum id per se ipsum luculentum, et in hoc confessu omnium oculis expositum, in oratione mea non adeo videatur esse desiderandum. Praetermitto etiam alia bona, quae Lipsiensi Academiae, cum aliis vel communia sunt, vel communia esse sperantur: Principis clementiam, Curatorum liberalitatem, discentium urbanitatem et modestiam, et huius generis alia. Quae etsi non parua sunt, volo tamen, ne nimis obruar rerum copia, in iis nonnullis me continere, quae nostrae Academiae tanquam propria tribui possint.

Fateor equidem, Auditores, me tritas illas et vulgares querimonias, de infelicitate et miseria docentium in academiis, maximam partem inanis habere; quae etiam plus mihi videantur valere posse, ad lignendum, vel augendum muneris nostri contemptum, quam ad leniendam eius aliquam molestiam. Nam si ab hoc uno discesseris, professores parciore plerumque

ac

ac tenuiore fortuna vti; quamquam et haec temperan-
tia et diligentia iuuari, imo interdum etiam amplificari
potest: caeterae pleraeque conquerendi rationes, vt:
humilitas, contemptus, eiusdem pensi toties retractandi
taedium, tum discordiae et rixae, super minutissimis re-
bus a minutissimis ingenii agitatae — hacc inquam
omnia eiusmodi sunt, vt penes ipsos qui conquerun-
tur, vel culpa sit, vel mutandi potestas.

Sed quamquam haec omnia lenia esse duco: video
tamen alia quaedam grauissima mala, cum hac vitae
ratione coniuncta esse, quae, qualia sint, et quomodo
Lipsiensis Academiae propriis quibusdam bonis auer-
tantur, iam declarabo.

Cum grauissima mala dico, quibus docti viri in
academiis obnoxii sint, talia intelligo, quae in ipsis
eorum ingenii et animis, verum litterarum sensum et
vsum intercipiunt; vel, vt idem aliter dicam, impedimen-
to sunt, quo minus eruditio in sapientiam matu-
reseat. Nempe cum academiarum sedes in talibus
plerumque urbibus collocatae fuerint, quae essent ab
omni rerum humanarum usu et spectaculo remotae, et
in quibus una eruditio dominaretur: factum est, vt
multi,

multi, caeteroquin doctissimi viri, augentes indies doctrinae copias, carerent earum rerum cognitione, quae doctis hominibus tum ad vitae felicitatem utilissimae, tum ad disciplinam recte instituendam, maxime necessariae sunt. Nam hoc persuasum habeo, Auditores, neminem posse, suae eruditionis fructum, nec in se ipso perciperē, nec cum aliis communicare, qui id ipsum ignoret, quid sit homo, quae eius in hac vita ratio; qui non intelligat, quorsum abeat haec doctrinae materia, subigenda et praeparanda in academiis; quorsum tandem tendat, omnis illa, cogitandi, legendi, scribendi, docendi et audiendi contentio, fervens in his doctrinae officiis et incalescens, laudis ac celebritatis studio, et praeiorum ac honorum cupiditate.

Quid facilius est, Auditores, quam hominem eruditum, perpetuo et continenter nihil aliud neque videntem, neque audientem, praeter unam eruditionem, eiusque labores et laudes, in eam abduci opinionem, ut eruditionem propter se ipsam putet expetendam esse atque excolendam; neglecto magno illo felicitatis humanae consilio ac fine; quo demto, quid sit in his litteris

teris humanitatis, intelligere nullo modo possum. Nam cernere licet, vmbra ticos quosdam homines, perpetuo in ore habere litterarum humanitatem; nihil tamen neque scriptis, neque disciplina proferentes, ad hominis naturam et usum, accommodatum. Hi fere sunt tales, quos diximus, propter omnium rerum humanarum imperitiam, neglecto omni litterarum consilio ac fine, ipsis, nescio quam propriam praestantiam, attribuere; quam in primis quaerere videntur, tum in difficultate studiorum, tum in quadam laude diligentiae, etiam nihil profuturae, tum in mutua illa, doctorum hominum, inter doctos homines, celebritate.

In primis autem litteratores et philosophi, ad quos referto etiam theologos, restat debent ac moderate, de eruditionis consilio judicare; quo ignorato, totam vitam ac disciplinam, in rerum minutissimarum usu consumunt. Nam quot inanes, bone Deus! subtilitates, ne dicam ineptiae, a philosophis et theologis, vel ut rectius dicam, ab hominibus philosophicam, vel theologicam quandam cognitionem habentibus, in medium prolatae sunt! tum quod ignorant res, in quibus verum horum studiorum consilium apparet; tum quod

B

hac

hac ignorantia abrepti, philosophiam, vel theologiam excolendam putarent propter se ipsam, et quia pars esset eruditionis, augendam et acuendam, omnis generis argutiis et subtilitatibus. Et, ut de litteratoribus dicam, quis ignorat, quanta, inde a restaurato horum studiorum genere, vulgi litteratorum, inanitas fuerit, toties vituperata ab Ernestio nostro, Venerando Sene.

Illa autem quasi popularis eruditio, sine qua dicebam, nullum doctorem academicum, nec priuatim felicem, nec publice utilem esse posse, non praecepsis absoluitur, aut lectione ac studio comparatur, sed hauritur in varia et multiplici rerum humanarum obseruatione et vsu: vnde perpetua in animis idearum, conceptuum, dubitationum et judiciorum nouitas existit, vel pristinis alia atque alia forma induitur. Dici non potest, quantam haec res vim habeat, ad alendum ingenium, et ad conformandam disciplinam. Itaque doctis hominibus, et vero in primis his, qui in aca demiis viuunt, nihil neque ad vitae sensum siavius, neque ad doctrinae utilitatem fructuosius est, quam si iis tale studiorum domicilium contigerit, in quo versari possint, inter omnis generis homines et res. Quae felici-

felicitas, nescio an vlli academiae aequae data sit, atque huic nostrae. Nullum enim est, nec hominum, nec rerum genus, cuius non aut praesentia, aut notitia, nobis hic Lipsiae, citius etiam et proprius quam aliis vrribus, contingat. Nulla viuendi, cogitandi et sentiendi, sapiendi etiam et desipiendi ratio, quae non hic appareat. Nulla ingenii et animi humani forma et conuersio, quam non liceat contueri. Nulla quaestio de magnis rebus, ad hominis in hac vita conditionem spe&tans, quae non apud nos agitur. Nulla denique in toto terrarum orbe res magna agitur, quae non aliquem ex nostris incolis tangat et afficiat, aut fructu, aut detimento, aut alio modo. Quo fit etiam, ut omnia in hac vrbe, protinus perueniant, ad communem non tantum notitiam, sed etiam sensum et cogitationem. Nobis igitur, per huius vrbis opportunitates licet, magnum illud rerum humanarum spectaculum ante oculos habere, a quo aliae academie longo quasi interuallo discluduntur. O! quanta felicitas! O! quam inexhausta cognoscendi, et sapiendi materia!

Et quantam haec res, doctis viris, eorumque studiis ac disciplinae, utilitatem afferat, multis atque maximis

in hac ipsa academia, exemplis est comprobatum. Nam quae genera studiorum, varia illa et populari doctrina, maxime aluntur et adolescent, ea in hac academia sedem omni tempore, et quasi domicilium habuerunt. Itaque summi in tota Germania philosophi et litteratores, Lipsiensis Academiae, vel ciues, vel doctores fuerunt. Ex illis Leibnitium, Chr. Thomasium, Wolfium, Kaestnerum, ex his Camerarium, Erneſtium, Heinium, sufficit commemorasse; (nam Vos nonnullos praesentes, ipsius benevolentiae causā, non nomino.) Omitto, tot oratores ecclesiasticos, per Germaniam olim et nunc claros, bonam vitae suae partem in hac vrbe et academia versatos esse, inuidia et insectitia depulsoſ.

Etsi haud equidem sum neſcius, hanc vrbis noſtræ varietatem, nonnullis ideo displicere, quod doctorum hominum ordo, quasi ſuffusus hominum et rerum multitudine, non ſatis emineat atque ſplendeat; qui in aliis academiis, tenuiorum vrbiuum domicilio utentibus, principatum teneat, et, vt par sit, ſolus regnet atque dominetur: attamen vt libere proſitear quid ſentiam, videtur mihi in hac ipſa re, quam alii in huius academiae reprehensionem et inuidiam trahunt, maximum eius

eius, et praecipuum bonum quoddam contineri. Nihil enim est, quod verae sapientiae, id est maximae docti hominis felicitati, magis ob sit, quam scholastica illa quaedam et umbratica superbia, circumspiciens eruditionis suae molem, ac dignitatis praestantiam, et despiciens eaeteros omnes, qui partim sine litteris viuunt, partim sine litterarum ostentatione litterati sunt: mercatores, artifices, oratores, poetas, nempe vernaculo sermone utentes. Atqui non adeo mirandum est, hanc putidam arrogantiam, cito gigni et immoderatius efferti, in absconditis illis doctorum hominum secessibus, in quibus nihil praeter eruditionem, neque audiatur, neque cernatur, neque cogitur. Nam hoc stultitiae genus, quod quoniam ipsum nouum est, novo nomine, pedantismum appellant, totum efficitur, rerum extra proprium vitae genus positarum ignoratione. Inde, ut quisque maxime consuevit, inter sui tantum ordinis homines viuere, ita maxime huic ridiculae inanitati sollet esse obnoxius. Itaque profiteor, Auditores, me malle in tenuissima vrbe viuere, in qua nulla eruditonis mentio sit, inter homines omnium litterarum expertes, quam in celeberrima academia, in qua unum
erudi-

eruditionis nomen dominetur, inter doctissimos viros
versari.

Deinde magnum in tali vitae ratione periculum,
modestiae ac prudentiae imminet ex eo, quod homi-
nes eiusdem vitae generis et ordinis, in honoris cultu,
salem externi, vicissim tribueado et exigendo, plerum-
que modum excedunt; tanquam qui sentiant, si se ipsos
inuicem honore non habeant, alios non reliquos esse,
a quibus colantur et suspiciantur. Hunc igitur cul-
tum, quem, quodam quasi pacto vanitatis constituto,
inter se ipsos mutuo obseruant, aequem magnum ab aliis
expectant. Qua expectatione, si hic illic destituantur,
magna se iniuria affectos putant, et dignitatem suam
violatam. Haec talis autem scholastica superbia, non
tantum morum absurditate, ludibrium, sed etiam cau-
farum stultitia, vituperationem et contemptum meretur.
Ea enim tota aduersa est verae sapientiae, quippe pro-
ficiens a nimia illa et inmodica doctrinae aestimatio-
ne; a qua eo quisque magis remotus esse solet, quo
magis vere doctus est. Igitur persuasum habeo, Au-
ditores, neminem, etiam copiosissima doctrina recte
vti posse, qui illam yniuersae eruditionis inanitatem
ignoret,

ignoret. Nam ut omittam, in ista cogitatione incredibilem quandam voluptatem inesse, natam, partim a vario illo et multiplici opinionum humanarum spectaculo, in quo ea perpetuo versatur, partim a propriae cuiusdam perfectionis sensu; qui maximus et suauissimus esse solet, cum, ultra vulgi iudicium elati, eas res contemnimus, vel certe minoris ducimus, quae a ceteris hominibus maxime et grauissimae habentur, et suo quodam splendore, imbecilliores plerorumque animos in admirationem rapiunt: certum est, Auditores, viros doctos, qui hanc cognitionis humanae imbecillitatem non sentiant, ipsos maxime omnium esse imbecillos. Nam verum sapientiae robur positum est in dubitatione, dubitationis autem in modestia. Nempe talem modestiam intelligo, quae eruditioem, non ultra omnes res humanas extollat. Quamquam enim remotior equidem sum, ab illa nonnullorum iniquitate, qui omnino literas nihil ad generis humani felicitatem conducere, imo plus ei obesse, quam prodesse arbitrantur: vellem tamen doctos viros, propter ipsam litterarum, suique ordinis dignitatem, in aestimando earum pretio, paulo esse temperantiores.

Ad

Ad hanc vero quandam intemperantiam, non ridiculam illam modo, sed etiam noxiā, cum docti homines, ipso litterarum amore, et in primis suo vitae genere, inclinati et propensi reddantur: hoc profecto non leue est Lipsiensis Academiae bonum, quod isti scholasticae superbiae, tot vnde quaque impedimenta opponat. Primo enim, cum illa urbis nostrae amplitudo, de qua antea dixi, maximarum et grauissimarum rerum, quae extra litteras aguntur, spectaculum offerat: fieri propemodum aliter non potest, quin de nostris rebus paullo moderatius sentiamus. Deinde etiam multi in hac urbe homines viuunt, qui, cum longe alieni sint ab eruditione, et ab omni eius sensu ac notitia, nos resque nostras parum curant, et in honore nobis habendo, certe modum non excedunt; cum in aliis Academiis haec maxima sit illius arrogantiae causa, quod omnes reliqui incolae, in unum doctorum hominum ordinem oculos conuertunt, eorumque moribus et voluntati, tanquam imperio, se accommodant atque subiiciunt. Quae res, etsi habet quendam iucunditatis sensum: habet tamen etiam stultitiae materiam et alimenta. Ergo horum etiam in nos beneficium quoddam existit, qui nos

nos et operam nostram parum norunt, etiam parum nos colunt et suspiciunt.

Maximum autem huius academie bonum et cum superioribus illis commodis coniunctissimum, cernitur in hac vitae ac studiorum apud nos, liberalitate et urbaneitate; quae multum adiumenti habet ab urbis amoenitate hominumque et rerum elegantia, tum maxime a pulcris artibus. Quae cum in aliis academiis ne peregrinari quidem velint, in hac nostra sedem et domicilium collocarunt. In qua re illustre Serenissimi Principis beneficium apparet, et vero etiam mercaturae opportunitas, cuius illae opulentiam sequuntur. At vero quantis iucunditatibus et utilitatibus, doctorum hominum vita expers harum artium caret! utilitatibus inquam. Etenim nolim quisquam existimet, eas vni iucunditati inseruire, nihilque solidi fructus litteris afferre. Nam ille pulcri sensus, qui spectandis artium operibus, animis nostris instillatur, ipsum veri sensum acuit atque exercet; propterea quod in omni pulcritudine veritas est atque perfectio, sed ea suffusa quadam obscuritate, unde maxima illa suavitatis existit.

C

Atqui

Atqui luculentum est, hunc aptitudinis et cinnitatis sensum, quo ille pulcri sensus continetur et absolvitur, nemini magis, quam docto homini necessarium esse. Itaque persuasum habeo, Auditores, non futurum fuisse, ut tot absurdae atque ridiculae opiniones, ex doctis capitibus provenirent, si illa docta capita hunc sensum apti et congrui habuissent. Igitur, qui opinionum, communi huic sensui repugnantium absurditate, maxime inclarerunt, omni pulcri sensu prorsus fuerunt destituti; nihil in oratorum, poetarum, aliorumque artificum operibus, sublimitatis, aut venustatis percipientes; tum etiam in oratione, in moribus, et in omni vitae cultu, ridiculi quid et inepti habentes. Et profecto, facile est intellectu, eum, qui id quod incongruum et repugnans est, non videt ac discernit in rebus ante sensus collocatis, id multo minus intelligere ac internoscere posse, in rebus abstrusis et a sensuum consuetudine remotis. Ne dicam disferendi ac scribendi facultatem, sine qua vera subtilitas et expedita eruditio esse non potest, multum inde iuuari atque ornari.

Qui

Qui igitur ingenium habent, hoc tali sensu expolitum atque exercitatum, quod in vnaquaque re aptum, vel ineptum est, non discunt tantum videre, sed etiam illud expetere, hoc autem euitare. Ad quam rem multum confert laudis studium, in quo inepti vituperationis ac ludibrii metus. Nam cum ea, quae apte ab aliis cogitata vel facta sunt, laudibus eorum, penes quos est iudicare, ornari videamus, inepta autem et absurdia, reprehendi, contemni, et quod acerbius est, ludibrio explodi: ut quisque hoc aegrius fert, ludibrio haberi, ita magis studet, id quod ridiculum est euitare. Caeterum hic pulcri sensus animam et quasi vitam litteris infundit. Sine eo copiosissima doctrina, examinis, frigida, mortua. Ergo sine pulcris artibus etiam academiae, vel exteriore aspectu, asperae sunt atque horridae.

Ad hunc autem pulcri, id est, veri et congrui sensum, tum eliciendum, tum alendum et exercendum, multum praecipue confert eorum qui eo valent, exemplum, tum etiam consuetudo et familiaritas. At videte, Auditores, videte, quam egregiis, etiam in hoc genere, viris haec vrbs et Academia ornetur. Itaque

C 2 fateor

fateor me horum consuetudine ac familiaritate delectari; quorum e sermonibus, tum seriis, tum interdum etiam iocosis, plus memini me ad sanam rationem profecisse, quam lectoris spissis aliorum voluminibus, de ratione, imo de sapientia conscriptis. Nam hoc video, Auditores, multa doctis hominibus et maxima pericula imminere, ab ipsa eruditione, si uno eius alimento vtantur. Quod alimentum cum, ipsum per se, quandam cruditatem habeat, videtur mihi diluendum ac demulcendum esse, omnis generis ideis ac sensibus, vndique petitis et quasi deceptis, tum a vitae communis varietate, tum ab artium pulcritudine, tum a liberaliorum et urbaniorum hominum consuetudine.

In hac igitur tali Academia, in qua id ipsum iucundum est, vivere ac docere, ita mihi contigit vivere ac docere, ut communium illorum bonorum sensus, etiam propriis ac paucis singularibus bonis, augeatur atque cumuletur. In quibus hoc sane maximum est, quod illud ipsum naturae humanae studium, in quo omne vitae meae tempus consumsi, quia eponice delector, meae curae et administrationi est

com-

commisum. Quod ergo negotium, priuatim antea,
et meae naturae motu suscepseram, id mihi iam publi-
ce impositum est, Serenissimi Principis iussu, et Illu-
strissimorum Curatorum voluntate. Capere non possum
tanti atque tam exoptati beneficij sensum; multo mi-
nus oratione sustinere grati animi pietatem, erga hunc
Optimum, Benignissimum Principem, et erga Suae be-
nignitatis in republica nostra Vicarios et Administros.
Nam si optio mihi data fuisset, inter omnia, non huius
Academiae, sed vniuersae Saxoniae munera, non eram
aliud, quam hoc electurus, professoris physiologiae, id
est, doctoris naturae humanae. Et hoc tale munus,
per se ipsum iucundissimum et amplissimum, volui-
sti Serenissime Princeps, etiam singulari quodam mu-
nificentiae Tuae beneficio, auctius et ornatus ad me
peruenire. Hi sensus, quibus iam fere perfundor, ver-
borum se augstiis comprehendi non sinunt. Ergo
cum dicendo non possim, agendo studebo efficere, vt
mea erga Principem pietas, et erga Curatores reueren-
tia appareat. Prosperet immortale numen Dei, Fri-
dericum Augustum, omnibus veris bonis; in quibus
inest Serenissimae Coniugis, Serenissimorumque Fra-

C 3

trum

trum incolumitas, et, (qua magis hic verus Pater Patriae, quam sua afficitur) nostra omnium, et vniuersae Saxoniae felicitas. Augeat etiam Deus et cumulet, omnium rerum secundarum opibus et ornamentis, Illustrissimos Curatores; inter quos propioris eum Academia nostra necessitudinis causa, hoc loco praecipue nominandus est, Perillustris Summi Senatus Ecclesiastici Praeses, Vir vera animi aequitate et magnitudine praeditus. Faueat diuina prouidentia Academiae nostrae. Faueat Tibi eius Rectori Magnifico; quem olim praeceptorum habuisse, nunc collegam et amicum habere, maxime laetor. Faueat diuinum numen Vobis omnibus Amplissimi Doctores; et in primis Ordini Medicorum, eius Decan^o Spectatissimo, Grauissimo Seniori, Vobisque reliqui Doctores, Coniunctissimi Collegae. Spondeo Vobis omnibus ac singulis, quibus mecum aliqua vel intercedit, vel in posterum futura est, in hac Academia necessitudo, spondeo inquam Vobis et polliceor, me nullo, nec reuerentiae aut obsequii, nec obseruantiae aut humanitatis, nec amicitiae aut fidei officio, vnquam Vobis esse defuturum; a Vobis vicissim, et quod arbitror, iure quo-

quodam meo, benevolentiam et amorem expectaturus.

Quod autem ad Vos dicam Generosissimi atque Nobilissimi, vel ut meo sensu dicam, Carissimi Com-militones, id neque scriptum habeo, neque cogitatum. Non enim video, quomodo illum insignem ac paene inusitatum Vestrum in me amorem, etiam hodie in hac frequentia Vestra conspicuum, ita possim oratione assequi, aut meam in Vos caritatem ita verbis temperare, ut nec Vobis ingratus videar, nec aliis assentator. Hoc de me persuasum habete — sed noua pro-missa a me non expectatis. Hoc enim mihi videor posse de me ipso commemorare, me in hoc studiis Ve-stris inferuendi officio, nunquam passum fuisse, meam aut diligentiae contentionem, aut laboris constan-tiam, aut vllum amoris ac benevolentiae genus deside-rari.

Iam vero omnes hi laetitiae et grati animi sensus, omnia haec vota, in vnam Dei Immortalis cogitatio-nem confluunt, et quasi confunduntur. Sentio hic orationem meam, quasi angustam et compressam reddi. Et profecto, hi pietatis sensus verbis non adhaere-scunt


scunt — et minime omnium latinis. Obruor, supprimor rerum dicendarum magnitudine et copia. Ergo patiemini, ut hac sanctissima huius caerimoniae parte, cum eam externa actione exequi non possim, intra meum pectus defungar.

Ye 6668



AB. 19. Mayd. 19. 1996 ✓

VD 77 m.d.



B.I.G.

Black

D E B O N I S

ACADEMIAE LIPSIENSIS

O R A T I O

HABITA IN AVSPICIIS NOVI MVNERIS

A B

ERNESTO PLATNERO

A. D. VII. DECEMBER. CIOICCLXXX

LIPSIAE

V E N D I T V R A R Y D D Y K I V M

